



LVdouicus ex honesta familia Berorum Basileæ natus atq; honestè educatus est. Is cum fœlici ingenio esset præditus, in patria bonis literis operam dedit, & præclaram sibi eruditionem comparauit. Postea sese Lutetiam ad celebrem Europæ Academiam contulit, & Theologico studio magna diligentia incubuit. In eo quoque adeò profecit, ut Lutetiæ magno omnium applausu Theologiae Doctor crearetur, atq; ei primæ partes in promotione attribuerentur, id quod hactenus uix ulli Germanorū in eo gymnasio concessum erat. Cum hoc modo legendo & disputando sese plurimum cum Sorbonicis exercuisisset, Anno 1512 in patriam rediit, atq; cum aliquoties Theologiae Decanum egisset, postea Collegij S. Petri Præpositus constitutus fuit. eam functionem is summa modestia administravit, atq; honestis moribus cleri ornamentum extitit. Cum etiam Badenis disputatio anno 1526 esset orta, ipse pro Catholicis præsedidit, atq; omnium ora in se conuertit, & in primis Erasmo familiaris extitit. id quod ex eius Epistolis patet. Hac ratione cum perseveraret, atq; interea religionis mutatio Basileæ fieret, Ludouicus anno 1529 patria discessit, atque Friburgum Brisgaudiae petiit. Ibilegendo & scribendo se talem exhibuit, ut eius loci Academia huius uiri præsentia plurimum illustrata fuerit. quin etiam cathedralis Ecclesiae Basiliensis (quaे tum Friburgum concesserat) Canonicus, & postea quoque scholasticus electus est. Scripsit is librum De præparatione ad mortem, præterea in aliquot Psalmos commentaria. quæstionem etiam illam, an tempore pestis Christiano fugere liceat, docte tractauit & edidit. Cum hoc modo sua eruditione magnam sibi autoritatem comparasset, tandem postridie Aprilis senex obiit, atque Friburgi in primario templo honorifice sepultus fuit, anno Domini millesimo quinagesimo quinquagesimo quarto, cum hac lapidis inscriptione, quam anno salutis 1565 in mea peregrinatione inspexi, & huc subiçere uolui.